Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31237
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https:/manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">



87

Nouiter

Nouiter uenens quis ad conuersionem non ei
facilis tribuatur ingressus: sed sicut ait apostolus:
probate spiritus si ex deo sunt. Ergo si uenens pulsans. et illa
tas sibi iniurias et difficultatem ingressus. post quatuor
aut quinque dies uisus fuerit patienter portare: et persuste
re petitionem sue annuatur ei ingressus: et sit in cella hospi
tum paucis diebus. Postea autem sit in cella nouiciorum:
ubi meditetur et manducet et dormiat. Et senior ei talis
deputetur qui aptus sit ad lucrandas animas: qui super
eum omnino uiciose intendat. et sollicitus sit si uere deum
quaerit: si sollicitus est ad opus dei: ad obedientiam: ad
oprobria. Dicentur ei dura et aspera: per que itur ad
deum. Et si promiserit de stabilitate perseuerantiam: post + sua + diuisio
duorum mensium circulum legatur hec regula per ordinem:
et dicatur ei. Ecce lex sub qua militare uis. Si potes obser
uare ingredere: si uero non potes: liber discede. Si ad huc
steterit: tunc ducatur in superiora dictam cellam nouiciorum:
et iterum probetur in omni patientia. Et post sex mensi
um circulum relegatur ei regula ut sciat ad quod ingredi
Et si ad huc stat post quatuor menses iterum relegatur
ei eadem regula. Et si habita secum deliberatione promiserit
omia se custodire et omnia sibi imperata seruare tunc suscipi
atur in congregatione sciens lege regule constitutum quod ex
ex illa die non licet de monasterio egredi nec collum exau
tere de iugo regule quam sub tam morosa deliberatione
licuit excusare. Suscipiendus autem in oratorio coram omnibus
promittat de stabilitate sua et conuersione morum suorum et obe
dientiam coram deo et sanctis eius ut si aliquando aliter fecerit + diuino.